



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

2 De exerditio intellectus circa actiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

Matt. 8.

postolorum precibus inductus est, vt tempestatē maris sedaret, vt refert S. Matthæus, *Domine, adiuua nos, perimus. Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Minis verò adactus est Pilatus ad condemnandum Christum. *Si hunc dimittis, clamabant Iudæi, non es amicus*

Ioan. 19.

*Cæsaris. Pilatus autem, subiungit S. Ioannes, cum audisset hos sermones, adducit foras IESVM, & sedit pro tribunali.* Minabantur enim Iudæi se eum accusaturos tanquam rebellem, dicentes: *Omni qui se regi m facit, contradicit Cæsari*

QVARTO nonis, non solum eos cenferi causas vel auctores alicuius actionis, qui re ipsa eam perficiunt; sed etiam qui auxilium, consilium, vel fauorem ad eam præstāt. Hoc sensu S. Augustinus in Psalmum 63 Iudæos ait, causam dedisse morti Christi, quoniam consuluerunt eam, & Pilatum ad eam inferendam induxerunt. *Ei Vos, inquit, Iudæi occidisti, & de occidisti? gladio lingua occidisti, quando clamasti: Crucifige, crucifige eum.*

De Exercitio Intellectus circa Actiones.

C A P. II.

**I**N hoc capite describam varia actionum genera, & cuiusque naturam explicabo, vt ex

vt ex iis, quæ in Meditationem tuam inci-  
dent multiplices fructus colligas, quos S.  
Patres ex earum natura, circumstantiisque  
hauserunt.

PRIMA diuisio sit Philosophis vsitata.  
vt alia Actio dicatur immanens vel inter-  
na, & Transiens, vel externa. Internæ sunt,  
quæ principium ex se habent internum, &  
remanent in nobis. Eiusmodi sunt actio-  
nes intellectus vt apprehensio, compo-  
sitiō, discursus. Et omnes actus voluntatis  
de quibus paulo post agemus. Deinde Me-  
moriæ, tam intellectiuæ quàm sensitiuæ,  
de quibus item postea. Similiter tales a-  
ctiones sunt phantasiæ, sensus communis,  
& quinque sensuum externorum, denique  
omnes appetitus sensitiui. EXTERNÆ ve-  
rò Actiones dicuntur, primo quæ aliquod  
opus permanens post se relinquunt: vt  
ædificatio domum. Eiusmodi sunt om-  
nes actiones mechanicæ. Deinde, quæ  
etsi permanens opus non relinquunt, ta-  
men foras prodeunt. vt est loqui, vola-  
re, ambulare, nauigare. Adhæc actiones  
morales humanæ, quas homo ex ciuita-  
te vel humanitate, remoto omni alio re-  
spectu, exercet.

ALIÆ deniq; sunt supernaturales & di-  
uina,

M 2

uina,

uinæ, ita dictæ, tum quod dirigant nos ad finem supernaturalem, qui est DEVS, tum quod adiuuante diuina gratia exercentur. QVOTIES ergo in meditatione considerandum quippiam occurret circa actionem, primo ponderandum erit, in quo genere actionum fuerit?

*De Exercitio intellectus circa Actionum circumstantias.*

C. A. P. III.

QVEM AD MODVM homines, qui sermone vel colloquio alicui intersunt & aures loquentibus præbent, vocamus CIRCUMSTANTES, sic hoc loco vocamus CIRCUMSTANTIAS accidentia actionis, quæ actionem quasi circumdant. PRIMA est LOCVS in quo exercetur actio, vt flagellatio Christi in atrio Pilati. De loco ergo primum expendi potest, sitne publicus? vt fuit Crucifixionis Domini, in monte scilicet Caluarie, loco supplicii reorû destinato, quod confusionem Christi augebat: An vero secretus, vt fuit carcer in quo decollatus est S. Ioannes Baptista, quod fieri solet ad imminuendum personæ dedecus & confusionem. Hac consideratione vsus est BEDA in cap. 8. Lucæ in explicanda parabola semina-